

DISTINCTIO XXI Clara, ac[194]perspicua divisio praesentis distinctionis, in qua difficultates quasdam ex dictis in duabus distinctionibus immediate praecedentibus oriri insinuat, atque regula, qua huiusmodi controversiae diluuntur optime commostratur.

HIC ORITUR QUAESTIO etc. Hic Magister ostendit ex praedictis oriri quandam difficultatem, quia enim dictum est in praecedentibus quod una sola persona non est minor quam omnes tres personae, ideo inquit hic magister, utrum dictio exclusiva possit praedicari de aliquo termino in divinis? Et dividitur in duas partes, quia primo magister movet circa hoc plures quaestiones. Secundo dat quandam regulam observandam circa huiusmodi locutiones ibi, ‘Verum tamen, ut ait Augustinus’. Prima in tres, secundum quod circa istam materiam movet tres quaestiones. Secunda ibi, ‘Post hoc quaeritur’. Tertia ibi, ‘sed iterum quaeritur’ etc. Circa istam distinctionem quaero.

Quaestio I

An haec propositio vera sit, videlicet, solus Pater est Deus?

Alterum quidem relativorum non esse de primario conceptu, ratio cogit confiteri. Unde exclusionis nota alteri eorum adiuncta, alterum non secludit. Quamobrem, propositio haec, ‘solus Pater est Deus’, omnino neganda est, quando quidem ea admissa statim infertur, ‘Dei filium non esse Deum’.

UTRUM HAEC sit vera, ‘Solus Pater est Deus’? Et videtur quod sic, quia si non, hoc esset pro tanto, quia excluderet filium. Sed hoc non facit, quia secundum Augustinum 1 De Trinitate¹ solus additum patri non excludit filium. IN CONTRARIUM videtur esse Augustinus 6. De Trinitate² ubi ait ‘patrem esse Deum, sed non esse solum Deum’. Quia dictio exclusiva addita alicui termino, ut plurimum videtur excludere ab huiusmodi termino omne illud, quod non est de principali, seu primario suo conceptu. Et quia magister hanc materiam de dictionibus exclusivis introduxit in hac 221. distinctione propter personas divinas, quae relative differunt, ideo primo videndum est, utrum unum relativum sit de principali conceptu seu de primario intellectu alterius? Secundo, utrum dictio exclusiva addita uni relativorum excludat aliud? Tertio illud, quod queritur. Quarto, utrum haec sit vera, ‘solus Deus est Deus’? DE PRIMO SUNT OPINIONES repugnantes. Teneo me tamen cum illa, quae dicit quod unum relativorum non sit de primario conceptu alterius, sed de cointellektu seu connotato conceptu alterius. Quia, sicut dicit doctor noster et bene, quodcumque aliqua sic se habent, quod unum est de principali conceptu alterius, si unum immediate profertur cum altero, tunc committitur nugatio, ut patet, cum dicitur homo animal. sed cum dicitur pater filii, vel duplum dimidii et sic de alii relativis, non committitur aliqua nugatio, ergo etc. 2. Praeterea, illud, quod ab aliquo est essentialiter distinctum, vel saltem non intrinsece spectat ad suam essentiam, hoc non est de primario suo intellectu, sed unum relativum ad minus in creaturis est ab altero essentialiter distinctum, ergo etc. 3. Praeterea, natura oppositorum non patitur, quod unum oppositorum sit de principali conceptu alterius, sed duo correlativa vere sunt opposita, ergo etc. SED QUIDAM antiqui tenuerunt oppositum, et potest opinio eorum probari. Primo sic: illa, quae sunt simul naturali intelligentia, videtur quod quodlibet illorum sit de principali intellectu alterius, sed relativa sunt huiusmodi, ut patet in Praedicamentis, ergo etc. 2. Praeterea, illud quod sic se habet ad alterum, quod ipsum nullo conceptu potest concipi sine illo, videtur quod illud sit de principali suo conceptu. Da oppositum, tunc saltem secundum illum principalem conceptum illud posset ab

¹Cap. 8 tom. 3

²Cap. 9 tom. 3

illo praescindi et concipi sine eo. Sed unum relativum nullo modo potest concipi sine termino, qui est suum correlativum, ergo etc. 3. Praeterea, cuius conceptus minus potest praescindi ab aliquo, quam conceptus speciei a differentia propria. Hoc necessario requirit illud in suo principali conceptu. Illa patet, quia species in suo principali conceptu requirit differentiam, cum sit pars suae diffinitionis, sed relativum respectu sui correlativi est huiusmodi, ergo etc. Probatio assumpte, quia haec species homo, potest concipi ut est animal non concipiendo rationale. Sed unum relativum nullo conceptu est conceptibile sine altero, ergo etc. 4. Praeterea, illud, cuius principalis conceptus est esse ad aliud, illud in suo principali conceptu requirit aliud et per consequens illud non est de suo cointellectu, sed de suo principali intellectu. Sed omne verum relativum est huiusmodi, quia suum esse est ad aliud se habere, ut patet in Praedicamentis. 5. Praeterea, iste principalis conceptus aut est relativus aut absolutus. Si relativus, tunc necessario terminatur ad aliud. Si absolutus, hoc esset contra naturam relativi, quia cum in conceptu principali res quasi diffinitive et formaliter exprimatur, ergo cuiuscunque rei principalis conceptus est absolutus ipsa necessario erit absoluta, et sic relativum non esset relativum, quod est contradictio. SED ISTIS non obstantibus teneo cum doctore nostro, ut prius. Advertendum est tamen quod rationes, quas hic conscripsi ex falsa imaginatione procedunt. Videntur enim praetendere quod conceptus principalis et conceptus secundarius, qui dicitur connotatus sive cointellectus, sint duo conceptus distincti, distinctis temporibus eliciti, et illud non est verum saltem in proposito, puta loquendo de relativis, quia uno simplici actu, quo intelligitur pater, attingitur etiam cognitive ipse filius, pater tamen concipitur principaliter, quia intelligitur in recto, filius autem secundario, sive ex connotato, quia concipitur in obliquo et per modum extremi terminantis tendentiam et lationem illius, quod est in recto conceptum, sive principaliter intellectum, puta patris, propter quod quamvis obiective distinguantur penes principale et secundarium, eo quod pro tunc, quando intelliguntur, unum per se directe et in recto intellectui obiiiciatur, alterum autem ut dixi terminative et in obliquo. His tamen duobus obiective consideratis, ex parte nostri intellectus subiective unicus actus intelligendi correspondet. EX HOC RESPONDEO ad rationes. Ad primum nego maiorem, nisi sic sint simul, quod unum non possit concipi in recto, nisi et alterum in recto concipiatur, sicut perfecte non potest concipi homo nisi rationale in recto concipiatur.

[195]

Ad secundum patet per idem, quia quamvis ipsum correlativum non concipiatur distincto conceptu subiective, concipitur tamen aliter obiective, quia in obliquo et illud sufficit ad hoc, quod dicatur concipi secundario. Ad tertium dicendum nego minorem. Ad probationem dico quod, cum homo concipitur ut animal, ille non est conceptus speciei, sed est conceptus generis, et quia conceptus generis abstrahit a sui differentiis divisivis, ut patet 3. Metaphysicae ideo non mirum, si homo ut animal concipiatur sine rationali, quamvis ut sic non possit concipi sine sensibili, quod est differentia constitutiva respectu animalis. Ad quartum dicendum ad maiorem quod illud requirit illud aliud terminative et oblique, et per consequens non requirit ipsum tanquam principaliter conceptum obiective, sed solum secundarie, quamvis utrunque concipiatur eodem conceptu subiective, puta eodem indistincto actu intelligendi. Ad quintum dicendum quod ille principalis conceptus est relativus et terminatur ad aliud modo, quo iam dixi.

QUANTUM AD SECUNDUM principale, utrum dictio exclusiva addita uni relativorum excludat aliud, dicendum quod dictio exclusiva addita uni relativorum excludit alterum, quia quamvis dictio exclusiva non excludat a termino, cui additur illud, quod est de suo conceptu principali, excludit tamen omne illud, quod est de conceptu secundario. Sed sicut iam patuit unum relativum non est de conceptu principali alterius, sed tantummodo secundario, ideo etc.

Maior patet per philosophum 1. Physicorum, ubi contra Parmenidem et Melissum ait quantum ad primam partem maioris. Si illud, quod vere est, esset solum homo, adhuc necesse est esse animal bipes. Quantum ad secundam partem ait, 'Non enim amplius principium est, si unum solum'. Et subdit rationem. Principium enim cuiusdam, aut quorundam est, ex quo apparet quod dictio exclusiva addita uni relativorum excludit alterum et per consequens excludit se ipsum, sicut addita principio excludit principiatum, quo excluso negatur, et excluditur etiam ipsum principium, quia unum relativorum non potest manere excluso reliquo. Posita enim se ponunt, et perempta se perimunt, ut dicitur in Praedicamentis. Ex quo etiam apparet quod per additionem dictionis exclusivae ad unum relativorum contingit manifesta implicatio contradictionis, quia relativum ad affirmationem sui ponitur, et ad exclusionem sui correlative tollitur et negatur. 2. Praeterea, 2 Elencorum dicitur: 'solus idem est, quod non cum alio'. Et hoc idem habetur in Topicis Aristotelis. Sed in creaturis unum relative oppositorum est aliud ab altero, et etiam in divinis pater est alius a filio, ergo solus vel alia consimilis dictio exclusiva addita uni excludit aliud.

SED EST QUAEDAM opinio, quae simpliciter tenet oppositum huius. Rationes illorum sunt illae, quia dictio exclusiva solummodo illa excludit ab invicem, quae ab invicem possunt in essendo separari. Sed unum relativorum non potest separari ab altero, nec in essendo, nec in intelligendo. 2. Praeterea, maior est connexio inter duo relativa, quam inter totum integrale et suam partem, quia relativa posita se ponunt et perempta se perimunt. Sed dictio exclusiva addita huiusmodi toti non excludit partem, non enim sequitur 'Sola domus est, ergo paries non est', immo affirmative potest inferri, 'ergo paries est'. 3. Praeterea, 'Si solus pater est, pater est'. 'Si pater est, filius est', ergo 'si solus pater est, filius est', et per consequens non excluditur. 4. Praeterea, illud, quod est de intellectu alicuius non excluditur per additionem distinctionis exclusive ab ipso, non enim sequitur, 'solus homo est, ergo animal non est', quia animal est de intellectu hominis, sed unum relativorum est de intellectu alterius. SED ILLA non concludunt et communis opinio tenet oppositum, ergo. AD PRIMUM dicendum quod maior est falsa, ut patuit in praecedentibus. Ad secundum dicendum quod maior non est vera considerando constitutionum rei, quia pars integralis spectat ad constitutionem totius, unum autem relativorum non spectat ad constitutionem alterius. Ad tertium dicendum quod prima consequentia, quae assumitur pro maiore, potest negari. Quia dictio exclusiva addita uni relativorum sapit naturam distinctionis distrahentis, sicut igitur non sequitur, 'homo mortuus est, ergo homo est'. Sic non sequitur, 'solus pater est, ergo pater est', et illa videtur esse expressa intentio Aristotelis I Physicorum cum ait: 'non enim amplius principium est, si unum solum. Ad quartum dicendum quod maior est vera, si est de suo principali intellectu. Sic autem, ut patuit, non est unum relativum de intellectu alterius, ergo non valet quod dicitur.

QUANTUM AD TERTIUM principale, utrum haec sit vera, 'solus pater est Deus', dicendum quod haec propositio, 'solus pater est Deus', est neganda, quia cum dictio exclusiva addita uni relativorum excludat alterum, ergo, si illa est vera, sequeretur quod filius non esset Deus. ET SI DICITUR Augustinus quandoque concedit illam, 'solus pater est immortalis', dicendum quod, quia patri appropriatur virtus et potentia, sicut filio sapientia, ideo sicut ratione appropriationis dicitur in persona filii, 'Gyrum coeli circuivi sola', sic quia immortalis attestatur virtuti seu potentiae, ideo appropriate conceditur illa, 'solus pater habet immortalitatem'. Per hoc enim non excluduntur aliae divinae personae a consortio praedicati, sed tantummodo excluduntur ab appropriatione eius. Est tamen sciendum quod, si in propositione praedicta ly 'solus' non tenetur exclusive, sed precise, tunc propositio est vera. Est enim sensus, quod illum divinum suppositum, quod in esse personali per solam paternitatem constituitur, est Deus. Sic enim non excluduntur aliae divinae personae a consortio illius praedicati, quod est Deus, sed tantummodo praescinditur forma subiecti.

QUANTUM AD QUARTUM principale, utrum haec propositio, 'solus Deus est Deus', sit concedenda, dico quod haec propositio, 'solus Deus est Deus', vel 'sola trinitas est Deus', est absolute concedenda, quia per talia datur intelligi quod solummodo illud, quod habet naturam divinam est Deus, vel quod solum tres personae in una natura sunt verus Deus. AD ARGUMENTUM in oppositum principale patet per dicta in 3. articulo.